

defect. in Minist. occur. v. *Si Sacerdos*, præscribat, ut Sacerdoti, qui post primam, vel utramque Consecrationem in syncopen incidit, ac est ita infirmus, ut communicare possit, præbeat Substitutus partem Hostiæ, si non adsit alia Hostia consecrata.

## ANNO MDCCLIV.

### MENSE JANUARI.

**CAS. I.** **F** Regit Parochus mane diei festivæ inadvertenter jejunium; & quamvis noscat, quod si id Parochianis manifestet, præcise dicent, ipsum in hoc incautum fuisse, & inconsideratum; hoc non obstante Missam celebrat, ut populus præcepto satisfaciatur. Q. an gravis culpæ ob hoc sit arguendus?

Resp. affirm. Ratio est, quia sic violat in re gravi, sine justo, & rationabili motivo, ritum, ac praxim, strictè & universe ab Ecclesia præscriptam, nempe ut Sacerdos non jejunus Missam non celebret, ut patet ex Concilio Constantiensi sess. 3. & D. Augustino Epist. 54. ad Januar. Si quod enim in casu id peragendi motivum intervenit, fortasse est ad evitandam penes Parochianos gravem infamiam, & scandalum; cum, ipso non celebrante, nequeant hi tali die Missam audire. At quis non videt, quod licet Parochiani, de eventu admoniti, dicant ipsum, frangendo inadvertenter jejunium, incautum fuisse, & inconsideratum, gravem per hoc ipsi non irrogant infamiam; ac per hoc, quod neque ibi, neque alibi possint ea die Missam audire, non peccant, ideoque insufficiens omnino esse tale motivum? Quare sicuti gravis culpæ arguendus esset, si in tali circumstantia celebraret in fermentato, aut sine vestibus Sacerdotalibus, eo quia ad id licite peragendum requiritur præceptum magis urgens, ac sit illud audiendi Sacrum; ita ob eandem rationem gravis culpæ arguendus est in casu nostro, cum etiam hoc sit adeo strictè ab Ecclesia prohibitum, ut solus Pontifex valeat in eo dispensare: ut cum Ugolino tradit Homobonus Exam. Eccl. tom. 3. tract. 15. q. 28. res. 3. Gotti de Euch. q. 4. dub. 5. §. 2. n. 17.

**CAS. II.** Puella fœta, ad instantiam Confessarii, nolentis aliter ipsam absolvere, huic manifestavit complicem sui peccati. Nunc audiens à Socia, quod ob similem casum idem ipsi cum eodem contigerit. Quærit à Parocho, an debeat talem Confessarium Inquisitori denunciare.

Resp. neg. sive quatenus à Confessario ipsamet fuit adacta ad manifestandum complicem; sive quatenus audivit à Socia; huic idem cum eodem evenisse. Ratio pr. part. est, quia nemo tenetur extra Pœnitentiæ Sacramentum aut aljud iudicium legitimum, se ipsum prodere, propriam turpitudinem manifestando. Propterea SS. Dom. Nost. Papa Benedictus XIV. fel. mem. locis infra citandis expresse declaravit, se ibi non comprehendere pœnitentem

tem

tem in casu proprio, quando hic nempe peccatum suum confitens, adigitur à Confessario manifestare complicem in eodem peccato. Ratio sec. par. est, quia licet laudatus Pontifex in litteris datis in forma Brevis die 7. Julii 1745. reprobaverit & damnaverit ut scandalosam, & perniciosam, ac famæ proximorum, ipsique Sacramento injuriosam, tendentemque ad sigilli Sacramentalis violationem, alienandosque Fideles ab usu Sacramenti Pœnitentiæ, praxim Confessorum à pœnitente inquirentium nomen, ac personam complicitis, eique absolutionem negantium, si illum non manifestent: immo in Constit. incip. *Apostolici Ministerii*, edita V. Idus Decembris 1749. præceperit omnibus, & singulis, qui aliquem Sacerdotem, sive Sæcularem, sive regularem, cujuscumque gradus, & conditionis existat, quocumque alio modo; præterquam ex ipsa Confessione à semetipsis apud eum peracta, cognoverint in administrando Pœnitentiæ Sacramento interrogasse Pœnitentem de nomine complicitis, eidemque indicari recusanti absolutionem denegasse, præceperit, inquam, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub iisdem pœnis, quibus ad debitas aliorum delictorum denuntiationes adstringuntur, ut intra terminum dierum pro aliis denuntiationibus à S. Officio præfigi solitum, Tribunali SS. Inquisitionis deferant, ac denuntient hujusmodi Sacerdotem, sive id eum fecisse intellexerint propter adhæSIONem prædictæ reprobatæ praxi, aliave de causa erroneæ opinionis suspicionem ingerente, sive id etiam per imprudentiam egisse, & per actum præfatis destitutum circumstantiis: tamen quia neque hæc Constitutio, neque aliæ Litteræ datæ iv. Non. Junii 1746. hæctenus ubique obligant, sed tantum Regna Portugalliæ & Algarbiorum (cum solum ad horum Archiepiscopos & Episcopos, ac Tribunali Inquisitionis hujusmodi Regnorum, peculiariter directæ legantur) nec de eorum, quæ in iis præcepta sunt, ad nos extensione constat, ideo dicendum, puellam non teneri &c.

**CAS. III.** Interrogat Parochum Sempronius, an quando confessis, ac Communione refectis concessa est in Ecclesia Parochiali Plenaria indulgentia à primis Vesperis usque ad occasum Solis, sufficiat pro lucro Indulgentiæ Confessio, & Communio facta in pervigilio, aut biduo ante, vel triduo. Quid responderet Parochus?

Respondeo, sufficere factam in pervigilio, & probabilius etiam factam biduo ante, vel triduo. Ratio primæ partis sumitur primo ex Decr. S. Congregationis Indulgentiarum, cui cum propositum fuerit totum hujusce casus quæsitum die 14. Martii 1712. respondit quoad primum affirmative, & quoad secundum *Dilata*; prout refert Eusebius Amort. de Indulg. in sup. plem. pag. 432. Edit. Ven. Deinde si non sufficeret facta in pervigilio, Indulgentiam numquam obtineri posset à primis Vesperis Festi, cum ejus lucrum supponat posita omnia requisita, inter quæ in casu sunt Confessio & Communio, ut patet ex illis verbis, *Confessis, ac Sacra Communione refectis*. Sed Indulgentia obtineri potest à primis Vesperis Festi, ut exprimitur, ac supponitur in proposito casu: ergo &c. Theodorus à Spir. Sanct. de Indulg. part. 1. artic. 5. quæst. 11. & comm. Ratio secund. part. est, quia in primis, quod fit intra triduum; dicitur fieri continuo, l. ult. Cod. de Judic. & l. fin. Cod. de Error. Advocati, ut notat Viva ad 39. prop. damn. ab Alex.

Vv 2

VII.

VII. n. 5. Deinde Confessio ac Communio non ita alligatur tempore determinato, sicuti Ecclesie Visitatio, ut eruitur ex ratione primæ partis. Hinc licet in rei eventu magis consultum sit se acomodare praxi fidelium, ponentium etiam hujusmodi opera in Festo, aut pervigilio; tamen si quem contingat Confessionem & Communionem posuisse biduo ante, vel triduo, probabilius censeo quod intra tempus præscriptum visitando Ecclesiam, adhuc lucreretur Indulgentiam. Portellus in Dub. Reg. v. *Indulgentia*, n. 5. Comitulus Resp. Mor. lib. 1. q. 39. Alique, quibus non dissentit Card. de Lug. de Pœnit. disp. 27. n. 93.

M E N S E F E B R U A R I I.

CAS. I. **H**æres Sacerdotis est certus, quod hic accepit eleemosynam pro viginti Missis celebrandis; dubitat tamen, & quidem rationaliter, an suscepto oneri satisfecerit. Q. an teneatur totidem Sacrificia celebranda curare?

Resp. affirm. si adhibita omni perquisitione, ac diligentia, de nullius Missæ celebratione constat. Ratio est, quia ob receptionem eleemosynarum factam à defuncto, tale onus induit qualitatem debiti realis, quod propterea, ob additam hæreditatem, in ipsum utpote hæredem transivit. Unde sicuti si Sacerdos esset adhuc superstes, & haberet istud rationale dubium, teneatur totidem Sacrificia celebrare, aut celebranda curare, eo quia possessio staret pro debito certo contracto, quod non adæquatur per solutionem dubiam, & quia satisfactio, cum sit aliquid facti, in dubio non præsumitur; ita quia hujusmodi onus transivit in hæredem, tenetur hic ob eandem rationem curare (ut malit integras eleemosynas dominis restituere) ut totidem Sacrificia celebrentur, cum de unoquoque dubium sit, an fuerit celebratum. Neque dicas, debitorem, post sufficientem diligentiam adhuc incertum, an teneatur aliquid solvere, non obligari ad solvendum, cum in tali casu melior sit conditio possidentis; sicque etiam hæredem, post sufficientem diligentiam adhuc dubium &c. non teneri &c. Contra enim: aliud est loqui de eo, de quo dubium est, an sit debitor, aliud de eo, qui certe est debitor, incertum vero est, an solverit. Primum & ego assero cum communi non obligari, ob rationem allatam; nam possessor jus habet in re, & etiam plus juris habet in retinendo, quam Actor in agendo: si enim hic non probat rem ad alium pertinere, ille qui possidet, ex sola possessione probat dominium, ideoque ipsius melior est conditio, utpote possidentis. Secundum tamen dico obligari, ob rationem supra assignatam, justitia namque commutativa exigit æqualitatem, quæ non datur inter solutionem dubiam, & debitum certum, cui proinde per illam non satisfacit, prout etiam firmavimus anno 1748. ad Cas. 3. Octobr. Hinc cum hæres Sacerdotis cum hoc secundo coincidat, dicendum, quod, si non vult eleemosynas restituere, tenetur 20. Sacrificia celebranda curare.

CAS. II. Legavit Sergius centum libras suæ Ecclesie Parochiali; & quia in una Parochia natus est, in alia Testamentum condidit, & in alia occubuit, nec Ecclesie legatarie nomen expressit. Q. cuinam Ecclesie Parochiali debeat Legatum.

Resp.

Resp. deberi Ecclesie Parochiali, in cujus Parochia occubuit, si Sergius non est ibi mortuus per accidens, sed ab aliquo tempore ibidem domicilium fixerat. Ita Pasqualigus de sacrific. nov. leg. tom. 2. quæst. 2002. Moronus, & alii. Ratio est, quia ex quo Sergius pluries domicilium mutaverit, nec umquam expresserit, cuinam Ecclesie determinate Legatum relinqueret, inde colligitur, eum non habuisse ullam peculiarem affectionem sive ad Ecclesiam, in cujus Parochia natus erat, sive ad illam, in cujus Parochia condidit Testamentum; sed potius eam fuisse contemplatum, à qua ultimo percepisset Sacramenta, quæve tempore mortis fuisset sua Ecclesia Parochialis: cum enim dispositio facta à Testante dicatur fieri secundum voluntatem præsentem solum in hoc sensu, quatenus exprimit voluntatem, quam Testator habiturus est tempore mortis, & suum habeat effectum solum post mortem Testatoris; hinc fit, quod contemplando Ecclesiam ut Parochialem, eam præsumitur contemplatus, quæ futura erat sua Parochialis tempore mortis, quo Testamentum suum postea effectum habuisset. Propterea huic debentur libræ centum, quasi relictæ pro onere administrationis Sacramentorum, & Sepulturæ. Addo, quod licet Sergius legando intendisset Parochialem, cui suberat, Legatum adhuc deberetur Parochiali, sub qua mortuus est: cum enim Legatum nuda voluntate adimatur, & voluntas magis factis, quam verbis declaretur, nil prohibet quod ex conjecturata voluntate Testatoris existimemus, mutatione domicilii legatum, quod uni Ecclesie erat relictum, contemplatione alterius intelligatur ademptum, & in aliam Parochiam translatum, in qua mortuus est. Vide Pasqualigum l. cit. & Amostazo de Caus. piis lib. 1. cap. 11. num. 29. solventes argumenta in contrarium.

CAS. III. Villicus die festo pervenit ad Ecclesiam quando Parochus jam incepit Canonem Missæ. Q. an teneatur reliquum audire, si nec ibi, nec alibi possit alteri Missæ interesse?

Resp. affirm. cum Suarez, Bonacina, cæterisque comm. Ratio est, quia licet Ecclesia obliget ad audiendum integram Missam, per suum præceptum, tamen potissime intendit obligare fideles ad assistendum oblationi Sacrificii, eique suo modo cooperandum per assistentiam. Cum ergo Villicus hoc adhuc peragere valeat, quamvis pervenerit ad Ecclesiam quando Parochus jam incepit Canonem Missæ, utpote quia Sacrificium eo tunc nondum peractum est; ideo dicendum, quod, si nec ibi, nec alibi potest alteri Missæ interesse, teneatur reliquum audire; nam quando adest materia legis implenda, & præstari potest id, quod principaliter præcipitur à lege, adhuc locum habet præcepti obligatio.

M E N S E M A R T I I.

CAS. I. **F**aber ferrarius tempore Quadragesimæ jejunare omittit, nedum iis diebus, quibus operando laborat, verum etiam diebus festis, quibus ab operibus suæ artis vacat. Q. an licite?

Resp. affirm. quoad dies feriales, quibus operando laborat; nam Eugenius IV. declaravit, Opifices artes laboriosas exercentes, sive divites sint, sive paupe-

peres, & quoscumque alios magno labore corpus defatigantes, à lege jejunii liberos esse. Sed faber ferrarius, diebus ferialibus operando laborans, exercet artem laboriosam, & magno labore corpus defatigantem; ergo talibus diebus liber est à lege jejunii, adeoque licite jejunare omittit: præceptum namque jejunii non obligat abstinere ab opere servili, ut jejunetur. Ita DD. comm. An postea etiam licite omittat jejunare diebus festis, quibus ab operibus suæ artis vacat, respondeo cum distinctione: vel hujusmodi Faber est talis complexionis, ac virium, ut hisce diebus absque gravi incommodo jejunare possit, & jejunando commode reassumere ac prosequi sequenti die laborem suum, vel non. Si non; dico ipsum licite omittere jejunium etiam diebus festis, quibus &c. etenim præceptum jejunii est præceptum Ecclesiæ, quæ utpote Mater pia non intendit suos fideles obligare cum tanto incommodo. Hinc quia regulariter hujusmodi artifices in die festo fessi sunt ob laborem præcedentium dierum, aut jejunando redderentur inepti ad laborandum sequenti die; ideo regulariter eximuntur ab onere jejunii etiam die festo. Si postea est talis complexionis, ac virium, ut &c. dico, ipsum illicite omittere jejunium diebus festis, quibus &c. cum enim non habeat rationabilem causam, ipsum à jejunio excusantem, nulla apparet ratio, ob quam talibus diebus à jejunio eximi debeat: siquidem obligatio jejunii in Quadragesima est onus diei, fere ac illa Divini Officii, ad quod obligati tenentur quacumque die possunt absque notabili incommodo illud persolvere; prout uno ore fatentur DD. comm.

CAS. II. Sophronius, ut se excusaret apud Andræam, ipsum arguentem de quodam delicto, falso juravit per execrationem dicens: *Si tale delictum commisi, me & filios meos perdat Deus.* Q. an commiserit unum, vel plura peccata in specie?

Respondeo cum dist. Vel Sophronius sibi, ac filiis imprecatus est tale malum ex animo, vel non. Si non; dico, ipsum commisisse unicum peccatum in specie contra Religionem, nempe perjurium, quo Deum adduxit in testem falsi: execratio enim, quæ in casu materialiter tantum afficit perjurium non inducit formalem malitiam specie diversam. Sanch. Oper. Mor. l. 3. cap. 1. n. 9. Si vero Sophronius sibi, ac filiis imprecatus est tale malum ex animo; tunc dico, ipsum commisisse plura peccata in specie; siquidem ultra perjurium contra virtutem Religionis, adest peccatum maledictionis contra charitatem, qua tenetur erga se, & filios; item peccatum contra pietatem, ob malum filiis imprecatum. Propterea in hoc secundo casu exprimenda erit in Confessione hujusmodi execratio, & imprecatio; non sic in primo. Quoniam vero vel numquam, vel rarissime contingit, quod quis sibi, aut filiis imprecetur tantum malum ex animo, inquit Sanchez l. c. n. 7. Bonacina in Dec. disp. 4. q. 1. punct. 2. num. 1. aliique, quod Confessarius non tenetur de hoc interrogare pœnitentem execratorie sic pejerantem: cujus ratio esse potest, quia in Confessione quærenda sunt quæ frequenter, non quæ rarissime accidunt, ni qualitas peccatoris hujus forte suspicionem inducat; ut in simili casu dixit idem Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 16. num. 5. in fine.

CAS. III. Famula Archipresbyteri, solita bis in mense confiteri Capellano,

no, eique simul committere celebrationem Missæ cum pingui eleemosyna, redacta ad mortis periculum, eidem Capellano fatetur, omnes eleemosynas per decenium & ultra, ipsi pro Missis ab ea tributas, fuisse ab ipsa comparatas ex rebus Archipresbyteri furtive sublati; proindeque, cum ipsa sit impotens aliquid restituere, quod ipse consulat propriæ conscientiæ. Q. an Capellanus teneatur restituere?

Resp. cum dist. Vel Capellanus accepit has eleemosynas mala, seu dubia fide, noscens nempe, aut suspicans, famulam esse impotentem ut de suo ipsi tantum tribueret; & in hoc casu dico, quod si, ommissa debita diligentia in dignoscenda veritate, prosecutus est sumere, ipse tenetur restituere; tum quia in tali casu præscribere non potuit, cum malæ fidei possessori non currat præscriptio; tum quia possessor malæ fidei tenetur restituere rem, si extat, & si non extat, restituere æquivalens, etiam cum damno proprio; ut patet in eo, qui mala fide emit equum à latrone, qui fugam arripuit cum pretio recepto; emptor enim, non obstante amissione pretii, latroni à se persoluti, tenetur restituere domino equum. Vel Capellanus accepit has eleemosynas bona fide, nihil suspicans &c. & in hoc casu dico, ipsum non teneri restituere nisi eleemosynas acceptas infra ultimum triennium, quia pecunia inter præsentis triennio præscribitur à possessore bonæ fidei; immo tenetur solum restituere acceptam infra triennium, si hæc adhuc extat, & quidem impermixta; nam si amplius non extat, aut per mixtionem fuit ab ipso moraliter consumpta, solum tenetur ad id, in quo per illam factus est ditior, ut communiter dicitur in tract. de Restitut.

#### MENSE APRILIS.

CAS. I. Pater familias magno filiarum onere gravatus, minis induxit unam ex istis ad eligendum statum Monachalem: antequam tamen hæc Monasterium ingrediatur, ipse peccatum contra filiam commissum fatetur, & filia post aliquot hebdomadas invita Monasterium ingreditur. Q. an Patris Confessio ipsum liberet ab excommunicatione lata à Trident. sess. 25. cap. 18.

Resp. neg. Si ante, vel post Confessionem Pater non retractat minas; & antequam filia Monasterium ingrediatur, non dat ei veram, plenamque libertatem quoad electionem status, ac talem ingressum. Ratio est, quia secus perseverat coactio, & coactionis influxus, ex Tridentini decreto sufficiens ad incurrendam excommunicationem: sicuti perseverare dicitur influxus mandati in homicidium, si mandans non facit quantum potest, ut mandatario innotescat sua retractatio. Nec valet dicere, quod quando filia ingreditur Monasterium, jam Pater est per Confessionem liberatus, sicque non incurrit excommunicationem, ob factam à Patre retractationem antequam sequatur filiæ ingressus. Non valet, inquam, ommissa enim responsione eorum, qui dicunt contrahi in casu excommunicationem ob peccatum præcedens, nego absolute, quod eo tunc Pater sit justificatus, si ante ingressum filiæ in Monasterium non retractavit minas, nec abstulit coactionis influxum; sicuti enim licet mandantem mandati à se dati statim pœniteat, subsequens occisio Clerici adhuc dicitur ab eo volita, statim ac potens, ac debens in-

timare mandatario revocationem talis mandari, & sic impedire Clerici occisionem, eam noluit intinere, & hanc impedire; ita licet prædictus Pater confessus sit, adhuc ingressus filix in Monasterium dicitur ab eo volitus, statim ac potens, ac debens retractare minas &c. Et ratio utriusque est, quia sic censetur virtualiter perseverare ille in mandato, ista in coactione; ideoque cum ambo sint vera causa effectus subsequentis, incurrit uterque in Censuram. Vide Giribald. de Censur. in Com. cap. 1. dub. 6. n. 65.

CAS. II. Gener Socero, volenti ipsi solvere dotem, suadet, ut per aliquod tempus illam apud se adhuc retineat, ac ipsi interim relinquat pignus fructificans. Q. an fructus inde à pignore susceptos debeat Generi computare in sortem.

Resp. affirm. cum Bossio de Dote cap. 20. n. 62. Rosignolo eodem tract. tom. 2. prænot. 21. n. 56. qui testantur, hanc sententiam esse communem apud Theologos. Ratio est, quia semel ac Dos offertur marito, prout tradi debet, & per hunc præcise stat, quod illa non recipiatur, res ita se habet quoad fructus pignoris, perinde ac si Dos fuisset effective soluta; cessat jus cap. *Salubriter*, & subintrat illud cap. *Cum contra*. Hinc sicuti si fuisset effective soluta, non posset Gener licite percipere fructus pignoris, sed si eos perciperet, teneretur ad restitutionem; ita in casu nostro dicendum, quod, si eos percipiat, teneretur illos computare in sortem. Addo, quod, facta à Socero vera dotis oblatione, si Gener cum ipso convenit, ut ille dotem penes se retinere prosequatur, ac interim ipsi relinquat pignus fructificans, talis conventio (secluso omni alio contractu, ac titulo lucri cessantis &c.) est quoddam mutuum, ratione cuius immediate Gener postea percipit fructus pignoris; siquidem ad onera Matrimonii in tali casu ipsa Dos ordinatur, non vero pignoris fructus. Sed percipere fructus pignoris immediate ratione mutui, est quid usurarium, adeoque illicitum; ergo Gener nequit in casu ita cum Socero convenire, ni fructus à pignore perceptos in sortem computet.

CAS. III. Archiepiscopus prohibuit Clericis sub excommunicatione lata sententiæ, ne ferant arma, & ne aleis ludant. Q. an si aliquis Clericus deferat arma, & aleis ludat extra Diocesim, incidat in excommunicationem.

Resp. neg. Ratio colligitur ex cap. *Ut animarum* de Const. in 6. ubi Pontifex decernit, furantem extra proprium territorium non ligari excommunicatione sui Episcopi lata contra fures; eo quia extra territorium jus dicenti non paretur impune. Atqui etiam Clericus, de quo casus procedit, defert arma, & aleis ludat extra proprium territorium: ergo Archiepiscopo & ipse non pareat impune, hoc est, sine pœna, adeoque non incidit in excommunicationem. Et hoc valet sive hæc excommunicatio lata fuerit ab Archiepiscopo per viam statuti, sive per modum sententiæ, seu præcepti; ut enim recte disserit Giribaldus de Censur. in Comm. cap. 1. dub. 11. num. 119. non magis statutum, quam sententia, ac præceptum, à potestate jurisdictionis proficiscitur, quæ sicuti limites habet circa personas, ita etiam circa locum. Et quamvis sententia primo, ac per se, respiciat personas subjectas illam ferenti; tamen non excludit territorium; cum Episcopus jurisdictionem habeat in personas ratione territorii, extra quod propterea

exis-

existens, quamvis sit subditus, ut ait Mastrius, in actu primo, & veluti habitualiter, talis tamen non est in actu secundo, uti requiritur ad contrahendam in casu excommunicationem. Quare cum Clericus supponatur deferre arma, & aleis ludere extra territorium, seu Diocesim, dicendum est, ipsum in casu non incidere in Archiepiscopi Excommunicationem.

MENSE MAII.

CAS. I. Parochus ruralis conqueritur de duobus Sacerdotibus, quia unus in humili Ecclesia, Parochiæ vicina, Sacrum peragit ante Missam Parochialem; alter vero in alia parva Ecclesia, cæteroquin à Parochia multum dissita, sine ipsius licentia diebus festis edocet populum Doctrinam Christianam. Q. an justæ sint Parochi querimoniæ?

Respondeo, justam esse querimoniam quoad primum, qui in humili Ecclesia Parochiæ vicina Sacrum peragit ante Missam Parochialem; injustam vero quoad secundum, qui in parva Ecclesia à Parochia multo dissita &c. Ratio utriusque partis colligitur ex Constit. 42. tom. 1. Sanctiss. D. N. Benedicti Papæ XIV. incip. *Et*, in qua §. 14. monet Episcopos, ut *expresse caveatur quoad parvas Ecclesias Parochiali proximas, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Missam celebraverit, Sermonem habuerit, cæterasque sui partes absolverit. Quo vero ad parvas Ecclesias à Parochiali longe sepositas, cum difficile admodum sit, Parochianos ob locorum distantiam longum iter, atque asperum, hyemali præsertim tempore, cum pluvix inundant, Parochialem adire, decernat Episcopus, gravibus etiam statutis pœnis, quod Sacerdotes ibi operantes, Christianæ Doctrinæ summam populo tradant, divinamque legem annuncient.* Quod idem jam Eminentiss. noster Archiepiscopus præscripserat Notif. 5. tom. 3. quæst. 44. Edit. Rom. Et quoad secundam partem jam servari mandaverat Clemens XII. in litteris, quas ad omnes Italiæ Episcopos dedit die 1. Julii 1733.

CAS. II. Cajus Mutinensis commodato accepit Equum, & mutuam pecuniæ summam ab amico Bononiensi. Accidit autem, quod Mutinam rediens, & pecunia, & equo privatus fuit à latronibus. Q. an sive pecuniæ summam, sive equi valorem restituere teneatur?

Respondeo per se ipsum teneri restituere mutuam pecuniæ summam, non sive vero equi valorem. Ratio est, quia per Mutuum in ipsum translatum fuit pecuniæ dominium, non sic autem dominium equi per commodatum. Propterea cum res in itinere per furtum amissa absque culpa, uti supponitur, per se Domino pereat, dicendum, quod Cajus tenetur quidem restituere amico Bononiensi summam pecuniæ, non sic vero equi valorem. Dixi *per se*, quia per accidens fieri potest, quod teneatur restituere etiam equi valorem; puta, si voluntarie reditum distulisset ultra tempus concessum, ex gratia, ad tempus nocturnum, quando redire promiserat tempore adhuc diurno. Ita DD. comm.

CAS. III. Obtinuit Parochus Plenariam Indulgentiam ad septennium pro die Assumptionis SS. Virginis, principalis Patronæ, ac Titularis suæ Ecclesiæ; quoniam vero illa obteata fuit anno 1747. sub. dat. 1. August. & so-

Xx

lum

lum publicata, ac exposita fuit anno 1748, petit, an valeat etiam pro anno præsentis; maxime cum mediaverit annus Jubilæi. Quid respondendum?

Respondendum, non valere etiam pro anno præsentis. Ratio est, quia initium septennii non computatur à die publicationis, ac expositionis Indulgentiæ, quando ex Brevis id non eruitur; nec Pontifex id declaravit, sed à die datæ Brevis: ut die 18. Maii 1711. declaravit ipsamet S. Congregatio Indulgentiarum apud Theodorum à Spir. Sanct. de Indulg. par. 2. cap. 1. art. 5. §. 2. ubi per extensum refert Decretum ejusdem S. Congregationis, à Clemente XI. approbatum. Cum ergo à die datæ Brevis septennium computando, hoc non includat annum præsentem, dicendum quod prædicta Indulgentia non valeat etiam pro anno præsentis; nec refert, quod mediaverit annum Jubilæi: cum enim tali anno Indulgentia valuerit pro defunctis, hujusmodi annus quoad eandem Indulgentiam non otioso transivit decurso, sicque intra septennium computandus.

### MENSE JUNII.

**CAS. I.** Dominus Villici mutuavit huic sex corbas tritici, pro eo tunc determinando pretium. Nunc vero, quia tritici pretium crevit ad summum, præterit Villico præsens pretium determinare. Q. an licite?

**CAS. II.** Q. secundo, an si post aliquot dies à mutuo facto, pretium tritici crevisset notabiliter ex improvise, saltem eo tunc licite determinaret hujusmodi pretium?

Respondeo ad primum neg. Ratio est, quia cum corbæ tritici mutuo traditæ, sint extra dominium mutuantis, nequeunt sine ullo ipsius periculo eidem fieri melioris conditionis, & plus lucrari: res enim, si in pretio crescit, aut fructificat, crescit, aut fructificat Domino suo præsentis, non autem præterito. Cum ergo Dominus Villici, respective ad sex corbas tritici mutuatas, sit Dominus præteritus, Villicus vero Dominus præsens, huic debetur pretii augmentum, qui est verus Dominus rei; non autem illi, qui proinde in casu, si vult determinare pretium, potest solum illud determinare, quod triticum vendebatur tempore mutui. Excipe tamen casum, quo inter Dominum, & Villicum initum fuisset ab initio pactum, quod hic solvendo pretium pro tritico, deberet ei solvere, tantum, quanti valiturum erat tali tempore determinato, ad quod alias Dominus erat triticum servaturus; tunc enim fieri potest, quod dicta Domini determinatio non sit illicita, dummodo triticum fuerit usque ad tale tempus servabile, & detrahantur expensæ, quas Dominus pro eo servando facere debuisset, &c. ut passim monent DD. Ad secundum respondeo pariter negative ob rationem supra allatam; cum enim non sit amplius Dominus tritici, non potest eo tunc licite determinare hujusmodi pretium, cujus augmentum fortunæ Villici est adscribendum, si hic apud se adhuc habet aliquam ejus corbam vendibilem.

**CAS. III.** Contracto à Titio Matrimonio cum Francisca, excitatur in eo

rationabile dubium, quod anno elapso compleverit copulam cum Francisca sorore. Propterea interrogat Confessarium, an possit licite petere, ac reddere debitum. Quid respondet Confessarius?

Respondeo primo, quod si tale Matrimonium nondum est consummatum, Titius ante adhibitam debitam diligentiam pro notitia veritatis nequit intra primum bimestre licite petere, nec reddere debitum. Non petere, ne exponat se periculo fornicationis, ac operetur cum conscientia practice dubia, accedendo ac hanc, quam dubitat esse suam. Nec reddere; quia ex una parte Francisca eo tunc jus non habet petendi, sicque non fit ei injuria negando illi debitum; ex alia tenerur Titius dictum periculum præcavere, quod in casu etiam reddendo intervenit. Post adhibitam vero diligentiam, si veritas innotescere non potuit, respondeo secundo, posse Titium dubium deponere, ac licite consummare sive petendo, sive reddendo. Petendo, quia tunc melior est conditio possidentis, & standum pro valore Matrimonii contracti: reddendo, quia tunc Francisca & ipsa est in possessione sui juris, quo absque injuria privari non potest; & Titius, stante diligentia adhibita absque detectione impedimenti, acquisivit jus consummandi. Si postea Matrimonium est jam consummatum, respondeo tertio, ante diligentiam adhibitam posse Titium licite reddere, non tamen petere. Reddere, quia cum Uxor supponatur bona fide contraxisse, ac juxta dicta sit in legitima possessione sui juris, hoc privari non potest absque injuria. Nequit tamen petere, ne dicto periculo se exponat &c. Denique, si sufficienti diligentia adhibita, veritas detegi non potuit, respondeo quarto, Titium licite posse omne dubium deponere, reddere, ac petere ob rationes supra assignatas; ut dicitur de possessore bonæ fidei, qui post dubium adveniens, an res esset sua, debitam adhibuit diligentiam, nec potuit se certificare; potest enim in tali casu dubium deponere, ac rem sibi licite retinere. Ita Merolla de Consc. dub. & scrup. cap. 3. num. 148. & seqq. Sanch. lib. 1. de Matr. disp. 41. num. 46. cæterique communius.

### MENSE JULII.

**CAS. I.** Puer aliud non didicit, quam Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum. Q. an Parochus id noscens, possit illi permittere, ut accedat ad Sacramentum Confirmationis.

Respondeo regulariter, & sine justa causa non posse id illi permittere; bene vero cum justa, & rationabili causa. Ratio primæ partis est, quia in nostra Synodo Diocesana lib. 2. cap. 4. de Sacram. Confirm. expresse habetur: *Nullus sine Parochi examine ad hoc Sacramentum accedat, qui prius experimentum sumere teneatur, an Mysteria fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogi præcepta, memoriæ mandaverit, iis accessum denegando, quos ea deprehenderit ignorare.* Ad do reverentiam Sacramento debitam postulare, ut qui vult ad ipsum accedere, capacitatem habens ea addiscendi, quæ spectant ad illius essentiam, ac virtutem, hæc prius addiscat, ut agnoscat quid recipit, sciatque vim ejus; dispositionem-